

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Daniel Michaelis Jacobus Danneelius

**De Dicto Apostolico I. ad Timoth. III. v. XVI. Citra Controversiam Magnum Est  
Pietatis Mysterium, Deus Manifestatus Est In Carne : Disputatio Anniversaria**

Rostochi[i]: Richelius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741203286>

Druck Freier  Zugang



Ru Neu 1657.

Michaelis, Daniel/a

Virt.: Daniel, Jacob



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn741203286/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741203286/phys_0002)

DFG

42

D. O. M. A.

DE DICTO APOSTOLICO

I. ad Timoth. III. v. XVI.

CITRA CONTRO-  
VERSIAM MAGNUM  
EST PIETATIS MISTERIUM,  
DEUS MANIFESTATUS EST  
IN CARNE,

DISPUTATIO ANNUVERSARIA,

in quâ

SUB PRÆSIDIO

Dn. DANIELIS MICHAËLIS,  
S. THEOL. DOCTORIS, EJUSDEM-  
QUE PROFESS. PUBL.

Publicè respondebit

JACOBUS DANNEELIUS  
*Anclamia Pomeranus.*

Ad diem VIII. Januar. in Audi-  
torio Majori.

BS : SC


ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen. Typogr.  
Anno c I o I o L I .

1651

2+

D. O. M. I. H.  
DE DICIO VITIO  
CITRA COGITO  
ERIS AMAGNET  
AVANTIA CATTIAT  
D. D. ANTHES MICHAELIS  
ROBES PAVILLIS  
HIN ANNA.





¶

**R**ediit per DEI gratiam illud Anni tempus, quo Genethlia Servatoris nostri, omnibus lætitiis exultans, CHRISTI celebret Ecclesia. Nimirum, unde nobis æternae salutis exitit exordium, inde non incommodè sibi ducendum esse Ecclesia statuit Anni principium. Et quis Christianorum sibi non promittat omnem totius vitæ spatii felicitatem, ac denique gloriam futuri seculi, qui debitâ fidei attentione meditatur syavissimam illam Nuncii cœlestis Orationem, quā, Ecce, inquit, annuncio vobis gaudium magnum, quod futurus es omni populo, quia natus es vobis hodie Servator, qui es CHRISTUS Dominus in civitate David? Nam, omnium confessione magnum pietatis est mysterium, Deus in carne manifestatus est. Filius nempe DEI proprius & unigenitus in unitatem infinitæ personæ suæ veram atque integrum ex Mariâ Virgine adsumisit Humanitatem, non sine profundissimâ duarum Naturarum, Divinæ & Humanæ, inter se tūm Unione tūm Communione, & Homo natus est, ut nos ab omni malo liberatos, divinæ Naturæ participes redde-ret, filios DEI faceret, & hæredes constitueret vitæ ac salutis æternæ. Neque vero paucis tantum, sed omnibus omnino hominibus, tantam adquisivit gloriam. Id quoties mentem hominis vere Christiani subit, quod singulis momentis fieri debebat, non est dubium, quia summâ lætitia perfundatur, totusq; in pietatem ac devotionem de-tur. Tantum enim hoc immensi DEI in nos miseros beneficium est, ut majus nulla mens creata concipere, aut lingua effari possit; quia de causâ nec parere potest aliud in pectore piorum, quam gaudium & lætitiam. Tantum etiam hoc mysterium est, ut sublimius nullum existat, atque adeo ex ejus consideratione nil nisi devotione & pie-tas seqvi queat. Placet itaque sancta *nuncius alesia* meditari aliquid de admirando illo, & ipsis Angelis imperscrutabili Incarnationis Filii

A. 2

DEI

DEI mysterio ex loco maximiè illustri i. ad Timothi 3. v. 16. Ομιλούσιος μέτα ἐν τῷ τοιεῖναι μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώντη εἰς οὐρανούς: ad cuius explicationem dum accingimur, Immanuelem nostrum JESUM CHRISTUM ex animo invocamus, ut lumine verbi sui mentes nostras illustret, Lingvam & calamum regat, faciatq; ut mysteria salvifica, nobis in verbo patefacta, dextrè assequamur, probè intelligamus, devote expendamus, salutariter ac grato animo usurpemus.

§. 1.

**I**N priore ad Timotheum Epistolâ id unicè agit. intenditq; Apostolus, ut Ministerium Ecclesiasticum rectè ordinet ac constituat: qvo nomine (1.) ratione Doctrina, sinceram Verbi DEI Prædicationem postulat, & qvidem tûm Verbi Legis Cap. 1. tûm Verbi Evangelij C. 2. (II.) ratione Personarum, qvæ Verbum illud prædicens, requirit debitam idonearum personarum circumspictionem Cap. 3. idq; Primo in hunc Modum, ut sistat tûm accuratam requisitorum Episcopi recensionem v. 1-7. tûm notandam Ministrantium in Ecclesia descriptionem v. 8-13. (qvæ duo membra, alias specialius juxta Textum deducenda, nunc generatim proposuisse sufficiat, ut ordine, qvo volumus,, deducamur). Deinde Causam Finalē geminam subjicit: Prior est, Ecclesia DEI adificatio, cuius ostendit (1) Modum, eumq; in probâ in domo DEI conversatione constituit v. 14, 15. a (2) Causas, qvia (1.) ipse DEUS vivus in Ecclesiâ, ut in domo suâ, habitet v. 15. a (2.) DEUS veritatem verbi sui tûm defendendam tûm conservandam apud Ecclesiam deposuerit v. 15 β. Altera Causa Finalis est, Nominis CHRISTI Prædicatio, cuius & Causam & Modum notat v. 16.

§. 2. Causæ est, qvia doctrina de CHRISTO, omnium piorum confessione maximum est mysterium. Ομιλούσιος μέτα ἐν τῷ τοιεῖναι μυστήριον, ait Apostolus. Μυστήριον illam vocat, id est, rem arcanam & absconditam, qvæ ab humanâ ratione absque divinâ revelatione & Spiritus S. lumine cognosci nequeat, qvo modo hæc vox usurpatur Dan. 2. v. 18, 19. apud 70, & passim in Nov. Testament. Luc. 8. v. 10. Rom. 11. v. 25. Eph. 5. v. 32. &c. Quemadmodum enim I. Cor. 2. v. 14. dicitur, quod animalis homo non percipiat ea, qvæ sunt Spiritus

*Spiritus DEI:* ita cum primis doctrina de CHRISTI personâ & officio est magnum mysterium, omni humanæ rationi usque adeo occultum, ut etiam CHRISTUS ipse dicat: *Nemo novit Filium nisi Pater Matth. II. v. 27.* Et cum Petrus de CHRISTO confessionem suam edidit, inquit, *Tu es CHRISTUS Filius DEI viventis*, responderet ipsi CHRISTUS: *Beatus es Simon Bar-Jona, quod caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis Matth. 16. v. 16, 17.* Ceterum addit Apostolus esse θμολογημένως μέρες τοις Επίσκοποις ex confessio, sive, ut nonnemo ex Veteribus habet, omnium confessione, vel, ut Erasmus, *citra controversiam magnum pietatis mysterium, non, quod nunquam controversia circa doctrinam de CHRISTO mota sit, sed quod apud omnes pios Christianos in confessio sit, hanc esse ingens humanæ rationi impervium mysterium: θμολογημένως, τοις Επίσκοποις, αναμόντοις δέ εστι* inquit Chrysostom. homil. XI. in h. I. Vокatur item mysterium pietatis, quia ad pietatem maximè invitat & impellit: *Apparuit enim gratia DEI salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & mundi desideria sobrie, & justè, & pie vivamus in hoc seculo Tit. 2. v. 11.*

§. 3. Et hæc de Causâ prædicationis Nominis CHRISTI: Nunc pedem proferemus, & considerabimus Modum, quo Ministri Verbi DEI nomen CHRISTI prædicare debent. Istum tunc in Genere Apostolus proponit, tunc vero deinde in Specie. Generalis prædicationis illius ratio in duobus veluti momentis consistit: quorum prius est, quod DEUS manifestatus sit in carne. Θεός, inquit Apostolus, ιφαελῶν τὸ οὐρανόν. Vulgatus interpres, Ambrosius, Hieronymus & Theodoretus legunt: *Quod manifestatum est in carne sine additâ voce DEUS.* Et hanc lectionem etiam Erasmus alteri illi, quam expressissimus, præfert: Sed Græci Codices constanter legunt vocem Θεός. *Mibi suboleat, inquit Erasmus in Annot. DEUM additum fuisse adversus hæreticos Arrianos.* At facilius dici potest, DEI nomen sublatum fuisse ab iis, qui vel Deitatem CHRISTI, vel utriusque Naturæ Unionem, jàm inde ab ipso conceptionis momento factam, negabant, quod Beza credit, quem vid. in major. Annot. Et hoc etiam Cornelius à Lapide approbat, ejusq; rei hanc narrationem ad-

fert, qvōd nimirum Græci nonnulli Codices olim legerint & *Deis*,  
vel &c. *Θεος*, Macedonius autem Nestorianus hunc locum corruperit,  
legens & pro &, atqve ita interpretatus sit: ut (homo JESU S dici  
posset &) esset DEU S, apparuit per carnem, & in corpore JESU  
habitavit. *E*stius hæc suo comprobat suffragio, & in testimonium  
rei adducit Liberatum Diaconum in Breviar. c. 19. Tradit eadem  
de Macedonio Patriarchà Alfonsus Salmero Tom. 15. in N. Test. in  
1. Tim. disp. 12. p. 528. qvodq; Macedonius in fidei professione fa-  
tis sincerum senon præbuerit, etiam *Evagrius* testatur Hist. Eccles. l. 3.  
c. 31. Sed qvicqvid de hoc sit, omnes circumstantiæ Textus nomen  
DEI reqvirunt. Porro ait Erasmus: *Jam agit adversus Iudeos, qui*  
*per gratiam CHRISTI conabansur legem obtrudere.* Unde vero istud  
manifestum est? In genere qvidem judaicarum genealogiarum & fa-  
bularum facit mentionem cap. 1. hujus Epist. v. 4. & alibi, sed qvōd  
de legis pro gratiâ CHRISTI obtrusione Apostolus hic disputet,  
nullo solido appetit documentum. *Mysterium, inquit Erasmus, vocat*  
*prædicationem Evangelij prius occultam & ignotam mundo, nunc verâ*  
*manifestatam in universo mundo.* Atqui hoc non obstat, qvō minus  
expressius ipsa *ἐπορεύωνται*, tanquam fundamentum mundo com-  
municandorum, ab Apostolo præposita fuerit. Subjicit Erasmus,  
*mysterium fuisse justificatum in Spiritu, id est, hanc prædicationem habu-*  
*isse vim justificandi in CHRISTO per fidem sine lege Mosaicâ.* Ubiam  
tem qvæso justificare ita sumitur, ut idem notet ac justitiam in  
CHRISTO proponere? addit Erasmus, *mysterium post resurrec-*  
*tionem receptum esse in cœlum, undò fuerat profectum.* Sed qvomo-  
do dici potest, prædicationem Evangelii receptam esse in cœlum?

§. 4. Cum Erasmo etiam Sociniani locum hunc ad Evangelium  
detorquent, qvod infrà suo loco verbis illorum planum facie-  
mus. Nunc videamus, qvid contrà authenticam dicti Apostolici  
lectionem adferant: Latinæ, inquit, editiones pro voce DEU S  
habent pronomen *qvod*, & manifestationem in carne non ad DEUM,  
sed ad pietatis mysterium referunt; quam lectionem, utpote  
& *ἐπορεύωνται* mysterio elidendo convenientiorem, sibi magis arri-  
dere profiteretur Socinus adversus Volan. p. 249. & prioverat ad ean-  
dem

dem Smalz. homil. 8. in Joh. I. p. 89. & in refut. thes. Graw. de Incarn. p. 6 item Volckel. I. 5. de verâ Relig. c. II. p. 462. Verum non pos- sunt eâdem satis tutò niti Christomachi, quâm id ipsis etiam omnino certum sit, non Latinam, vel quamcunq; aliam translatio- nem, sed solùm Græcum Textum in Novi Testamenti scriptis pro *Geo niv' d's w* & authentico habendum esse. Proinde ne sibi ipsi svi- dem, nedum nobis satisfaciunt, dum ad subruendum fidei nostræ fundamentum diversam Latinorum exemplarium Lectionem ur- gent.

§. 5. Neque huc qvicquam momenti adfert Smalzii axioma, quod in refut. thes. Graw. I. c. proponit: *Ex locis, quorum varia est lectio, nihil certi concludi posse, verius est, quam ut probari debeat.* Nam id ita simpliciter intellectum falsum est, quod idcirco hunc in modum restringendum: *Ex locis, quorum varia est lectio, nihil certi concludi potest, si sc. primò ea varietas lectionis sit in fontibus vel au- thentico Textu, non tantum in ipsis versionibus: si secundò ita com- parata sit, ut, utra è variis lectionibus verior sit, plane incertum sit, nec vel è Textus circumstantiis, vel ex analogiâ fidei, aliisq; Scriptu- ræ locis, vel ex antiquis & probatis exemplaribus, vel postremo è Ve- terum allegatione & interpretatione definiri possit: si denique tertio non solùm verbotenus eadem lectiones discrepant, sed etiam disso- nantes reddant sententias.* In hoc autem Oraculo nostro variam in ipso fonte Græco lectionem occurrere, ne ipse quidem Smalzius certo affirmare potuit.

§. 6. Enjedinus autem & Volckelius, quamvis audacieores hac in parte, vocem DEI in omnibus Græcis Codicibus reperi negent, nullum tamen, in quo defuerit, nominare potuerunt. Neque ha- Etenuis inventus fuit, qui illum Græcum Codicem, sive manuscri- ptum, sive excusum, vetustum vel recentem, se deprehendisse testatus sit, in quo vox ista desiderata fuerit. Nullam hic Græcorum exem- plarium discrepantiam Rob. Stephani observavit, qui 17 Codd. Græ- cos summo contulit studio, & inter eos vetustissimos qvosq; diligenter conquisitos: nullam Autores editionis Complutensis notarunt, qui castigatissima omni ex parte, vetustissimaq; exemplaria archetypa, nec non Vaticanae Bibliothecæ Codices antiquissimos ad-

hibue-

Hibuerunt: Nullam Hervagius advertit, qvi ex optimorum exemplarum collatione varias discrepantes lectiones annotavit, editioni Basileensi Ann. 1545. subiectas. Laurentius Valla Vulg. versionem cum diversis Græcis Codd. contendit, sed nullum Græcorum Codd. vocem Θεον omittentem reperit, unde in collat. N. Testam. ad h. l. annotat: *Quod neutraliter legitur (intellige in vulgata) masculinè legendum est, addendumq; DEUS, sic enim est græci: Et planè, s. haud dubie, s. quod græco magis respondet, & sine controversia, id est, confessè ὅμολογόμενος magnum est pietatis mysterium DEUS est manifestus &c.*

§. 7. Theodorus Beza, qvi non tantum secundâ curâ 17. Codd. Græcos, à Rob. Stephani citatos, accuratissimè contulit, sed & Claramontanum, mira antiquitatis exemplar, adhibuit, in editione Novi Testamenti observat, omnes Græcos Codices perpetuo consensu vulgatae lectioni Latinæ repugnare. Sebalt. Castell. legit etiam in suis Codd. & reddidit juxta Græca exemplaria, DEUS apparuit in carne. Erasmus ipse, qvi varios itidem & antiquissimos Græcos Codices adhibuit, vocem Θεον in omnibus Codd. legi negare non ausus fuit, sed potius Græce sibi haberi, Θεον, Φαερώνι εν σωματι, & qvæ seqvuntur ad DEUM referri fatetur. Pontificii etiam nostri temporis, qvi post Tridentini Concilii decretum omnibus modis id agunt, ut vulgatam latinam versionem ubique tueantur, infiteri tamen hic non possunt, Græca exemplaria, constanter habere vocem Θεον, neque ullum, Latinæ translationi suffragantem, Græcum Codicem adducere possunt. Qvocirca Cornel. à Lapide & Gvilhelm. Estius in commentar. ad h. l. palmam hic vel inviti Græcae lectioni deferunt.

§. 8. Eam præterea lectionem non tantum recentium Græcorum Codicum esse, sed & antiquissimorum, tūm vetustissima exemplaria, ab antē dictis Autoribus collata, testantur, tūm veterum Græcorum interpp. monumenta loqvuntur, qvi constanter in hoc Textu Θεον agnoverunt. Athanasius in principio libri de Incarnatione, contra P. Samosatensem: *Quapropter, inquit, à Paulo dictum est, magnum esse citra controversiam mysterium pietatis, DEUM manifestatum*

festatum esse in carne. Joh. Chrysostomus Homil. XI. in c. 3. ad Tim. sic legit & interpretatur: *Et revera magnum est pietatis mysterium, DEUS manifestatus est in carne.* Quibus profecto verbis dispensatio pro nobis assumptae carnis exprimitur: *Quia enim de Sacerdotibus differens, nihil ejusmodi statuit, cuius in Levitico preceperat lex, ad altiora profecto nos subvenit, quod sc. in carne manifestatus est conditor.* Vid. & ejusdem homil. 14. in Joh. c. 1. item Ignat. epist. 3. ad Magnesianos. Orig. in epist. ad Rom. c. 1. l. 1. Cyrill. de Incarnat. Unigen. p. 240. Theoph. comment. h. l. &c. Latini etiam Interpp. quamvis non legant vocem DEUS, unanimiter tamen hunc locum de Θεῷ ἡγγύῳ, ejusq[ue] incarnatione, intelligunt. Ambrosius in Comment. h. l. *Sacramentum*, ait, *mysterij DEI, quod est CHRISTUS, in carne dicit manifestarum, quod latebat in Spiritu: Natus enim homo filius DEI, qui in secreto erat apud DEUM, opere & prædicatione declaravit se creature.* Quod & habet in Symb. Apost. ubi humanam naturam hoc ipso in sanctæ Trinitatis substantiam & consortium ingressam scribit. Hieron. in Comment. h. l. *Quod scire te cupio Sacramentum incarnationis CHRISTI, per quam generi humano pietas collata est, quod nunc in carne ejus declarata est.* Nec aliter alii Patres.

S. 9. Quibus accedit, quod Syrus ita vertat, ut vocem DEUS subintelligat; *Verè magnum est mysterium hoc iustitia, quod (DEUS) revelatus est in carne.* Ipse porro contextus sic, ut est in Græco, & non aliter legendum esse manifeste evincit; nam nec mysterium pietatis s. prædicatio Evangelii recte dicitur vel in carne manifestata, vel in Spiritu iustificata, minimè omnium autem sursum receipta in gloriam. Unde voculam hic in Latinâ versione deesse, & non illam, sed Græcam lectionem veram ac genuinam esse patet. Quam etiam Racovienses Sociniani in translatione suâ German. N. Testam. exprimunt: *ΘΕΟΣ ist geoffenbart worden im Fleisch.* Franciscus Davidis, Socinianorum in oppugnanda Incarnatione Filii DEI *οὐσίᾳ τοῦ Ιησοῦ*, Græcam lectionem non tantum admittit, sed & de CHRISTO, vi veritatis constrictus, exponit: Sic enim in Act. Colloq. Transylv. d. 3. scribit: *DEUS manifestatus est in carne, iustificatus Spiritu &c. nequaquam de secundâ aliquâ invisibili persona intelligi potest, sed homine IESU CHRISTO, qui est DEUS manifestatus in carne,*

carne, & assumptus in gloriam, & Gentibus praedicatus. Imo & ipse  
Smalzius Græcae lectionis sinceritatem tandem agnovit, & eandem  
Latinæ anteferendam esse ingentiè fassus est libr. de Verb. Incarn. c. 18.  
Omnia exemplaria Græca hactenus constantè vocem DEI habent. Et  
porrò: Nos Græcum Textum vulgata longè anteponendum esse confe-  
mus, is verò habet: DE IL Min carne esse manifestatum. Item: DE-  
U M apparuisse in carne, sūnā cum Paulo confitemur: Et: DE U M in  
carne manifestatum esse dicimus. Taceo, qvōd universalis omnium  
nostrī temporis Codicūm Græcorū corruptio statuenda sit, si vo-  
cem Θεοῦ, qvæ in omnibus legitur, irreptiriām qvis dixerit, qvod di-  
vinæ repugnat providentia, neqve ab ipsis Socinianis admittitur.  
Tantum de authenticā vocis Ἰησοῦ lectione.

§. 10. Ceterum nomen Iesū sumitur hoc loco Ἰησοῦντος  
pro æterno DEI Filio, ut mox patebit. Hic est DEUS ille, qui  
ἐφανέρωθεν σωμάτιο. Sanè DEUS est naturā absconditus DEUS  
ὑπόστατο Esa. 45. v. 15. μορφὴν ἀφανῆς, τὸν δοκίματον, habitans in  
luce inaccessibile Tim. 6. v. 16. Ex ejusmodi vero abstrusa luce, ingenti  
erga nos homines amore ductus, prodiit, & vitiosius Evangelicæ Hi-  
storiæ ita in carne apparuit, ut Hum. Naturam, carnem & sanguinem  
ex Mariâ Virgine per Spiritus S. virtutem in divinam suam personam  
admirabili modo adsumserit. Unde jam per φανέρωσιν Ιησοῦ σώμα  
nihil aliud intelligitur, qvam ἐνοικουμένος DEI λόγος. Qvæ  
explicatio & phrasis Scripturæ bellè congruit: Vita qua erat apud  
Parem, ἐφανέρωθεν ήμενος Ioh. 1. v. 2. εἰς τὸν ἐφανέρωθην οὐδὲ τὸ  
Ιησοῦ Ioh. 3. v. 8. IESUS CHRISTUS in carne venit I. Joh. 4. v. 2.  
Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus,  
quasi unigeniti à Patre Ioh. 1. v. 14. qvod idem est, ac si dicatur, DE-  
U S vel DEI Filius manifestatus est in carne. Carnis & sanguinis par-  
ticeps factus est, Heb. 2. v. 14. passus est in carne. I. Pet. 4. v. 1. veluti  
h. I. dicitur, qvod apparuerit in carne. Et qvia Apostolus ibi ce-  
lebrat gratiam DEI φανέρωσιν Δικαιοσύνης τοῦ σωτῆρος  
ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ 2. Tim. 1. v. 10. inde olim, in primis apud Gra-  
cos, nomine Φαντασίας vel Φαντασίων dictus fuit dies Natalis D O-  
MINI,

MINI, quo videlicet DEUS in carne hominibus *Propheta* sive appa-  
ravit. Vid. Euseb. initio Histor. Eccles. Epiphan. h̄er. si. & Suidam.

§. 11. *Sociniani* hic genuinam Aphorismi Apostolici sententi-  
am pessime corrumpunt & depravant, negantes, in eo de Incarnati-  
one Filii DEI sermonem esse. *Socinus* primipilus geminam adfert  
*speciem* *scripturæ* Resp. alter. ad Resp. Andr. Volan. p. 245. & 249. Prior  
hæc est, quod DEUS Pater manifestatus sive patefactus sit in carne,  
quatenus CHRISTUS in carne apparuit, quem qui videt Patrem  
videt Joh. 14. 9. quicque imago est DEI in conspicui Col. 1. v. 15. H̄eb.  
1. v. 3. Alterum est; Pietatis mysterium, quod Evangelio contine-  
tur, in carne, id est, per carnem, per homines sc. mortales, & multis  
calamitatibus obnoxios, initio ab ipso CHRISTO facto, publicata-  
tum fuisse. Utramque corruptelam suam fecit Georg. Enjedinus in  
Explic. locor. V. & N. Test. p. 366. & 373. ita interpolatam: illam,  
quod DEUS Pater manifestatus sit in carne, hoc est, per viles & abje-  
ctos homines, CHRISTUM & Apostolos, quando mirifica & magni-  
fica opera & consilia seu abdita hominibus per illos patefecit. *Hanc*,  
quod pietatis mysterium, hoc est doctrina Evangelii, de receptione  
Gentium citra ceremoniarum legis & circumcisionis observationem  
in numerum filiorum DEI, quod prius occultum fuerit, nunc uni-  
verso mundo per imbecilles & viles homines manifestatum sit. Et si  
verò posterior depravatio multò convenientior Socino videatur,  
eam tamen solum secundum vulgatam versionem, non vero secun-  
dum authenticum Textum obtinere agnoscent: Qapropter pro-  
lixâ illius confutatione minimè opus est, postquam Græcam lectionem,  
non verò vulgatæ versionis genuinam esse ostendimus. Et sa-  
nè prædicatum *εφαρσών* *ἐν οὐρανὶ*, cum cæteris connexis, non mul-  
to melius & convenientius de mysterio pietatis, quæ doctrinam E-  
vangelii notat, explicatur, quam de DEO Patre, sed potius pver-  
se de utroque. Hæc namque prædicata omnia, non ita comparata  
sunt, ut de doctrinâ Evangelii recte dicantur, propriè explicitentur;  
Quid enim? An prædicatio s. doctrinâ Evangelii justificata est in Spi-  
ritu? num sursum recepta in gloriam?

§. 12. Sed dimissa illâ glossâ, quæ vulgatæ versionis lectione  
punitur, alteram, quam authentico Textui affricare conantur, videa-  
mus,

mus, cùm in fidei dogmatibus non vulgatæ versioni, sed Græco Tex-  
tui insistendum esse Sociniani agnoscant, & hanc sententiam, DEUM  
nempè in carne apparuisse, ipse Smalzius diserte Paulo adscribat, ut  
supra notavimus. Hinc & potissimum in eo sunt Adversarii, ut al-  
teram illam ipsum fontis sive Græci Textus depravationem propo-  
gnent, quemadmodum videre est apud Enjed. loc. antea cit. Ostorod.  
contrà Tradel. p. 2. c. 5. p. 109. Smalz. contrà Grawer. de Incarn. &  
contrà Franzium disp. 3. p. 65. nec non contrà Smiglee. de div. verb.  
incarnat. nat. p. 45 & 103. qvibus locis Smalzius vocem θεος de DEO  
Patre ejuq; voluntate interpretatur. Catechismus item Racovien-  
sis p. 113. *DE U M* intelligit de voluntate D E I concernente salutem no-  
strum, hanc manifestatam dicit per homines mortales, & pro verâ agni-  
tam per miracula & virtutes, angelis notam, gentibus predicatam, credi-  
tam & cum gloriâ receptam. Pariter Jonas Schlichtingius, qui recen-  
tior est, in tractatu suo contrà D. Meisnerum ante paucos annos edito  
p. 317. Negamus, inquit, hic quoque aliam, quam Patris personam  
intelligendam esse. Et paulo post: Qvod DEUS dicatur manifesta-  
tus in carne, id nequam ad commentitiam illam incarnationem re-  
ferendum est, sed ad divinæ voluntatis manifestationem per carnem fa-  
ctam, id est, per homines fragiles & infirmos, & quod carnem ac infir-  
mitatem conseqvi solet, variis calamitatibus & afflictionibus subjectos.  
Et posteâ p. 479. Nequam concedimus D E I nomine CHRISTUM  
significari, sed unum illum D E U M, qui pater est, designari, contendimus.  
Negamus enim, D E U M manifestari in carne, significare D E-  
U M carne seu Humana Natura conspicuum fieri. Et post p. 480.  
Dicitur DEUS manifestatus in carne, quod per homines infirmos, afflictos,  
& quos verè carnem fuisse apparuit, seipsum seu divinæ voluntatis sua  
arcana patefecerit. Vid. & Volckel. lib. 5. de Verâ Relig. c. II. p. 463.  
Stegmann. contrà D. Botfaccum. p. 380.

§. 13. Hæc jam est Socinianorum qvoad præsens Oraculum  
interpretatio, novissima scilicet, Ecclesiæ plane ignota, qvin & à  
Scripturâ aliena, coacta, & ad Textum minimè faciens. Etenim  
nuspiciam θεος in Scripturis idem est, qvod D E I voluntas, vel Evan-  
gelium D E I DEUS dicitur; Et si vel maximè vox θεος interdum  
metonymicè de voluntate D E I acciperetur, non tamen improppia  
signifi-

Significatio admittenda est, ubi propria locum habere potest. Non  
esse recurrentum ad figurā, nisi aliquacogit necessitas, sobria Theologie  
regula est, inquit ipse Smalz. in refut. Graw. p. 9. Nuspīam etiam  
voluntas DEI in carne manifestata perhibetur, sed Evangelium dicitur  
mysterium revelatum per Scripturas Prophetarum secundum præ-  
ceptum æterni DEI Rom. 16. v. 26. & sic illustris ejus revelatio ab Apo-  
stolo amplificari solet: non enim per carnem & humanam volunta-  
tem, sed per Spiritum DEI allatum est 2. Pet. 1. v. 21. Præterea nul-  
libi DEUS Pater dicitur in carne manifestatus, sed contrā misisse filio-  
um in carnem Rom. 8. v. 3. Gal. 4. v. 4. Vid. suprà §. 10. ubi Filio e-  
jusmodi Φωτισμὸν in Scriptura tribui docuimus. Qvæ adducunt  
Adversarii, prorsū aliena sunt ab hac loquendi ratione. Verba  
CHRISTI Joh. 14. v. 9. Qui videt me, videt Patrem, qvæ & Soci-  
nus attulit, & Smalzius peregregie huc facere ait lib. de Verb. Incarn.  
p. 107. qvā diversa sint nemo non perspicit, cùm in illis neque car-  
nis, neque apparitionis in carne mentio fiat, imò ne innuatur quidem  
ullatenūs, Patrem apparuisse in carne. Unde Socinus ipse ad verba  
& opera CHRISTI ea retulit, qvæ et si, ut addit, dicta & facta in  
carne, non tamen in ipsâ carne, sed in verbis & operibus CHRISTI  
visus ita dicetur Pater. Nec hoc facit, qvōd Filius imago Patris di-  
citur, Col. 1. v. 15. Ebr. 1. v. 3. id enim ratione carnis intelligi nequit,  
eo sensu, qvōd Pater in carne CHRISTI apparuerit, siquidem non  
ipsa caro Patrem repræsentavit, cùm illa sit corporea substantia, hic  
incorporea, illa fragilis & mortalis, hic omnis fragilitatis expers &  
immortalis. Accedit, qvōd aliud sit manifestari per carnem, aliud  
apparere in carne, qvas propositiones diversas esse utut Adversarii  
negare nequeant, eas tamen citrā necessitatem confundunt. In car-  
ne idem esse posse, qvod per carnem dicit quidem Smalzius loc. cit. ve-  
rūm non quid possit esse videndum, sed quid verè sit. Præpositio-  
nem ἐν οὐρανοῖς & usitatissimè notare IN extra controversiam est:  
ab usitatā itaqvē nativā & ordinariā significatione absqve causā non  
est discedendum. Addimus & hoc, qvōd prædicatum ἐφωεψών  
& οὐρανοῖς inferat immediatam in carne apparitionem, non verò ali-  
qvem, qvi carnalis est, ministrum vel medium esse, per qvod mani-

festatio facta sit. Ubi ejusmodi quid Scriptura innuit, ab aliquo vel per aliquem patefieri, revelari aut annunciari dicit, non vero in aliquo, ut 2. Cor. i. v. 19. Gal. i. v. 11. & passim alibi.

§. 14. Secundo de tali manifestatione loquitur Apostolus, quae est sine dubio magnum mysterium, idq; non Veteris, sed Novi Testamenti: Contextus enim docet, agi hic de mysteriis Novo Testam. propriis. At DEUM se manifestare, voluntatemq; suam patefacere per homines mortales & fragiles non est ὄμολογός μηδέ μυστήριον, cum naturaliter notum sit, DEUM se homini manifestare, qvin & illabi posse ac solere menti humanæ atque cum eâ loqui, quod & Ethnici crediderunt. At certè nullum mysterium naturaliter notum est, neque tam facile humanae applaudit rationi. Porro DEUS jam inde ab initio in Vet. Testamento per infirmos & imbecilles homines se suamq; voluntatem manifestavit, multifariam enim, multisq; modis olim locutus est. Paribus in Prophetis Heb. i. v. 1. Qvomodo itaque haec manifestatio potest esse mysterium Nov. Testamento proprium? Tertio idem ex sequentium consideratione patet. Colligimus ita: De eo dicit Apostolus, quod in carne sit manifestatus, qui est justificatus in Spiritu, visus Angelis, praedicatus Gentibus, creditus in mundo, assumptus gloriose in cœlum: Haec enim omnia in Textu cohærent, & ad Græcam vocem Θεος referuntur. Atq; non DEUS Pater ejusq; voluntas, sed filius est justificatus in Spiritu, visus Angelis, peculiari modo & in mysterio praedicatus Gentibus, & creditus in mundo, denique gloriose in cœlum receptus. Itaque de Filio DEI dicit Apostolus, quod in carne sit manifestatus. Ut assumti veritas pateat, singula membra seorsim ponderabimus.

§. 15. Edixitq; ait Apostolus, εν τῷ σώματι, justificatus est in Spiritu, Θεος sc. Φανερωθεῖς εν αὐτῷ, DEUS manifestatus in carne: haec enim δύο κοινά repetenda sunt. Atque illud est alterum, in quo generalis prædicationis Nominis CHRISTI natio, de qua supra §. 3. consistit. Verbum Δικαιοσύνης inter alias, quas habet, significations etiam denotat: justum declarari, agnosciri, celebrari, debitaq; justitiae laude prædicari: Unde DEUS justificari dicitur, quando justitia, bonitas, fidesq; ejus patescit, agnoscitur & celebratur Rom.

3. v. 4.

§. V. 4. Psal. 50. v. 6. Vid. &c Matth. 11. v. 19. Luc. 7. 35. Cæterum  
DEUS in carne manifestatus justificatus est in Spiritu, et ratione, quod  
Spiritus S. de ipso testatur, eum non tantum natione sue personæ per-  
fecte justum esse Heb. 7. 26. sed quod sit JEHOVAH justitia nostra  
Jer. 23. 6. qui factus nobis justitia i. Cor. 1. v. 30. conf. 2. Cor. 5. v. 21.  
Huc pertinet, quod Spiritus S. super CHRISTUM, cum ad im-  
plendum omnem justitiam baptizabatur, in visibili specie ut columba  
descendit Matth. 3. v. 15, 16. & quod CHRISTUS post ascensionem  
Iam Spiritum S. miraculose super Apostolos effudit Act. 2. v. 1. &  
seqq. ut per illius gratiam de sua restificarentur justitiæ. Et quem-  
admodum CHRISTUS ad Apostolos inquit: Quoniam venerit ille Spi-  
ritus veritatis, qui a Patre procedit, ille me glorificabit Joh. 16. v. 13, 14.  
Ita Spiritus hic manifestissime per Scripturas Apostolorum testatus  
est, quod noster ille Servator, DEUS in carne manifestatus, non tan-  
tum in seipso summe justus sit, sed quod nobis etiam per virtutem  
meriti sui adquisiverit perfectam justitiam, quæ coram DEO valet  
Rom. 3. v. 22, conf. Esa. 53. v. 11. i. Joh. 2. v. 1. Ita jam Filius DEI in  
carne manifestatus, justificatus est in Spiritu, non quasi per Spiritum  
S. justus effectus sit, sed quia Spiritus S. justitiam ipsius ubique verbis  
& operibus maxime prædicat. Similis loquendi modus extat Luc.  
7. v. 29. ubi dicitur, quod publicani DEUM justificarint, ita nimisrum,  
ut justitiam DEI agnoscerent, & prædicarent.

§. 16. Quo modo Ministri Verbi DEI nomen CHRISTI præ-  
dicare debeant, dehinc jam specialius & Creaturarum, & Creatoris rati-  
one Apostolus docet. Ratione Creaturarum, & quidem primò An-  
gelorum notat, quod DEUS incarnatus ab Angelis conspectus sit: ωφη,  
inquit, εγγελοις, vñsus est Angelis. Οπιδοι, ιδειοι (sicut & ογγειοι,  
γεωραι) translatione ad animum & spiritum facta est liquido co-  
gnoscere, intelligere, agnoscere, & ad omnem cognoscendi mo-  
dum, non ad visum tantum refertur V. Matt. 9. v. 2, 4. Luc. 5. v. 20.  
c. 9. v. 47. Joh. 5. v. 19. 3. Joh. v. 11. Neque vero dubium, quin An-  
geli per dispensationis mysterium, in carne revelatum, multa cognos-  
cerint, quæ ante nesciverint, ideo per CHRISTUM potestariibus  
eriam & principatibus, id est, Angelis, innotuisse scribitur multifor-  
mis

mis DEI sapientia Eph. 3. v. 10. Vident quidem illi semper faciem Patris coelestis Matth. 18. v. 10. sed *φαίγωσιν οὐτε εἰσαγόντες* tam sublimie mysterium est, in quod etiam Angelii *μεγάλην* fixis quasi oculis introspicere cupiunt 1. Pet. 1. v. 12. Proinde cum Filius DEI Bethleemi natus esset, exercituum coelestium multitudo laudes DEO canebat Luc. 2. v. 14. Ministrabant etiam Beati hi Spiritus CHRISTO in humanitate, vita, passione, resurrectione & ascensione sua V. Matt. 4. v. 11. Luc. 22. 43. & c. 24. v. 4. & seqq. Act. 1. v. 10. & seqq. Unde egregie nonne ex Veteribus, CHRISTUS, inquit, nunciantibus Angelis conceptus, natus cantantibus, tentatus ministrantibus, passus consolantibus, suscitatus apparentibus, assumptus comitantibus & testanzibus. Notandum hic, quod DEUS in carne manifestatus ita visus & singulari modo cognitus sit Angelis, ut haec visio Angelica singulare pietatis mysterium sit, h. e. res nova & incognita ipsorum Angelorum respectu, interprete Smalzio contra Graw. de Incarn. Filii DEI. Hoc nec de Patre, nec de voluntate divinâ, vel Evangelii doctrinâ, dici potest. Num enim hoc novum, quod Angeli DEUM videant, qui, ut jam diximus, *ἄλλη περιτος* vident faciem Patris coelestis? Num ante manifestationem CHRISTI & Apostolorum, in Novo Testam. factam, incognita fuit Angelis DEI voluntas, vel doctrina Evangelii, quæ per scripta prophetica jam fuerat patefacta in V. Testam. Rom. 16. v. 26. cap. 1. v. 1. 2. Luc. 24. v. 27, 44. Joh. 5. 39. Act. 3. v. 20. &c.

§. 17. Secundò ratione Hominum subjungit Apostolus primo, quod DEUS incarnatus inter Gentes annunciatus sit, *Ἐκηρύχθη*, ait, *ἐν ἑβραιοῖς*, predicatus est Gentibus, Barbaris, Idololatris, & sceleratis, idq; tanto cum successu, ut brevi temporis spatio Evangelium de CHRISTO in universum mundum ad omnes Creaturas, quæ sub celo sunt, transierit Col. 1. v. 6. 23. Etenim antea DEUS Judæos in populum peculii elegerat Deut. 14. v. 2. & ex justo judicio omnes Gentes suas ipsarum vias ingredi sinebat Act. 14. v. 16. ut illo tempore sine CHRISTO essent, alienante à Politia Israëlis, extraneæ à Testamentis promissionis, sibi non habentes, & sine DEO in mundo Eph. 2. v. 12. Sed postquam Filius DEI, omnium Gentium desiderium Hagg. 2. 8, in carne manifestatus per meritum suum tam Judæos, quam Gentes cum

Cum DEO reconciliaverat Eph. 2. v. 13. & seqq. nūm ubique prædicare  
curabat, qvōd etiam Gentes cohæredes & comparticipes promissio-  
nis vitæ æternæ esse deberent Eph. 3. v. 6. Hoc Scriptura mysteri-  
um vocat, qvōd æternis temporibus absconditum fuit Rom. 16. 25.  
super cuiusimplectione David in Spiritu latatur, inqviens: Laudate  
DOMINUM omnes Gentes &c. Psal. 117. v. 1, 2. conf. Rom. 15. v. 11. De-  
inde, subjecit Apostolus, qvōd DEUS incarnatus verâ side à mundo re-  
cepus sit, θησαυρού, inquit, εν κόσμῳ, creditus est in mundo, id est, ab  
obtenebratis in mundo hominibus, qui hactenū in horrendâ æmisiæ  
inceßerunt. Postquam verò DOMINUS verbum atque Evangelium  
suum de CHRISTI Incarnatione & merito annunciarī fecit, illos per  
istud tam admirabili modo convertit, ut multa millia ex Gentibus ad  
salvificam JESU CHRISTI agnitionem perduela fuerint, qvōd  
non nisi singulari DEI virtute, & efficaci operatione fieri potuit, cùm  
hac doctrina alioqvi gentibus stultitia fuerit I. Cor. 1. v. 23.

S. 18. Postremo ratione Creatoris tradit Apostolus, qvōd DEUS  
in carne manifestatus gloriös in cœlum assumptus sit V. Phil. 2. v. 9.  
Eph. 1. v. 21. & seqq. Αὐτὸν φησινquit, εν δόξῃ, assumptus est in glo-  
riā sc. per gloriosam ascensionem in cœlum: illud enim de ipsā as-  
sumptione, in ascensione CHRISTI in cœlum consummatā, dici lo-  
ca parallela evineunt Marc. 16. 19. Et Dominus JESUS, postquam  
locutus est eis, αὐτὸν φησιν εἰς τὸν οὐρανὸν Act. 1. v. 11. Hic JESUS,  
qui assumptus est à vobis in cœlum, veniet, quemadmodum eum vidisti  
euntem in cœlum; sicut &c. universa Antiquitas explicat, mota verbo-  
rum claritudine. Nimirum vox αὐτὸν propriè significat sursum  
recipi v. 70. interpp. 2. Reg. 2. v. 9. & Syrac. c. 48. 9. item c. 49. 16.  
ubi de αὐτῷ Eliæ & Enochī in cœlum usurpatur. Ex eo itaque  
manifestum, qvōd ultimum hoc pietatis mysterium voluntati divi-  
næ vel D'E-O Patri minimè conveniat, quemadmodum & nusquam  
de Patre vel Evangelio ita scriptura loquitur, qvōd recipiatur in  
gloriam. Qui admittunt Evangelium, dicuntur qvidem δέξασθαι  
& διδέξασθαι τὸν λόγον τὸν Θεόν Act. 8. v. 14, c. 11. v. 1. nec non  
c. 2. v. 41. non verò αὐτῷ αὐτῷ οὐδὲν εἰς δόξῃ. Adde, qvōd hoc  
diversum sit mysterium à precedenti θησαυρῷ εν κόσμῳ, quo re-  
cepio

cepit per fidem indicatur: itaque non potest cadent dentari, cum  
dicitur *Θεος αὐτοί οὐκ εἰ δέξιος*.

§. 19. Sic proposita & vindicata à pravis Socinianorum ex-  
planationibus verā ac genuinā dicti Apostolici sententiā, jām seqven-  
tes Conclusiones subjecimus. Prima est: *CHRISTUS est summus*  
*& verus natura DEUS*. Negant id Photiniani, essentiam & naturam  
in CHRISTI persona, præter humanam, nullam agnoscentes. Ex-  
stat in loco nostro nomen *Θεος*, quod illi personæ tribuitur, qvæ di-  
citur apparuisse in carne. Illud nomen est per se & in principali suo  
significatu, usq[ue] proprio & absoluto essentia divina summa & eminentis-  
sima character. Patet id inter alia ex oppositione Idolorum & DEI.  
Nam S. Scriptura s[ecundu]s *DEUM* Idolorum essentia opposit, & qvi-  
dem in argumentis palmariis & principalibus, qvibus idola non esse  
*DEUM*, h[ab]e, non habere divinam essentiam, ostendit, qvia essentia  
ip[s]orum totu[m] cœlo diversa sit ab essentiâ *DEI*, qvipp[er] qvæ spiritualis  
est & independens, à qvæ ut causâ omnia dependent: cùm contra  
Idola materialia sint, ex auro, argento &c. constantia *Esa.* 44. v. 12.  
seq. & factitia sint, ac opera manuum artificis *Exod.* 20. v. 23. *Deut.*  
28. v. 64. *Esa.* 37. 19. *Jerem.* 16. v. 20. & corruptibilia sint, ac igne ali-  
sq[ue] modis corrumpantur & comburantur 2. *Reg.* 19. v. 18 &c.  
neq[ue] causæ sint rerum, sed omni potius agendi facultate, multoq[ue]  
magis actuali operatione destituuntur *Psal.* 115. v. 5. seqq. *Psal.* 135. v.  
16. seq. Hinc ita concludit Scriptura: *Quicquid est materiale, &*  
*factitium ex auro, argento, ligno, & lapide: item, quicquid est opus*  
*manuum artificis: Et, quicquid est corruptibile, & igne aliisq[ue] modis*  
*consumitur: ut & qvicquid omni agendi facultate destituitur, id verus*  
*DEUS esse non potest.* Ubi certè *DEUS* ratione *Natura* spectatur,  
& natura divina idolis denegatur. Nam Idololatrae potestatem divi-  
nam materialibus, factitiis & impotentibus rebus attribuebant, idcir-  
co Idololatrias convincuntur, quod iis, qvæ naturam divinam non  
habent, divinam potestatem adscriperint. Atqui *Dij Gentium* s. *Ido-*  
*la sunt materialia & factitia &c.* E. Cū itaque idolorum essentia  
opponatur appellationi *DEUS*, & qvidem ea ratione, ut propterea  
nomen *DEI* Idolis denegetur, quod essentia à *DEO* diversi sint, uti-  
que voce *DEI* alia essentia summa designatur, qvæ cum essentia Ido-  
lorum coincidere nequit.

§. 20. VI

§. 20. Videatur etiam Controversia, inter Eliam & Baalitas de  
vero naturā DEO agitata 1. Reg. 18. v. 21. seq. Num ille sit DEUS,  
qui sibi nomen JEHOVAH, an vero is, qui BAALIS nomen sibi tribuit?  
&c. patebit, non de alio prædicato, qvām de summa essentiā di-  
vinā sub illo prædicato DEUS controverti; Ita enim Prophetā Elias  
l.c. Si JEHOVAH DEUS, sequimini illum, si autem Baal,  
sequimini illum. Simili ratione Act. 17. v. 23, 24. de DEO ratione  
essentiā agitur, qvis nempē verus ille DEUS sit, qvem Athenienses  
venerabantur. Sic Paulus Gentium Idolatriam notans Rom. 1.  
v. 23, 25. mutasse, ait, Gentiles veritatem in mendacium, dum illis divi-  
nam adscriperunt potestatem, qvi naturā DEUS non erant, qua-  
drupedibus &c. reptilibus, & volatilibus. Servierunt Gentiles, dicente  
Apostolo, *Tis μὴ Φύσις ἐστὶ θεός - iis, qui naturā Dīj non sunt, τοῖς*  
*εἰδόντες θεόν non cognoscentes DEUM*, qvi sc. *Φύσις* naturā DEUS  
est, ut oppositiq docet Gal. 4. v. 8. Qvocircā cūm illi DEUM non  
cognovisse dicantur, qviis, qvæ naturā DEUS non sunt, potestatem  
& honorem DEI tribuerunt, certè manifestum est, qvōd vox DEI  
ipsam essentiam DEI denotet, adeoq; cūm simpliciter adhibetur,  
DEUM illum unum, qvi solus est naturā DEUS. Hinc solus DEUS  
summus dicitur DEUS 1. Cor. 8. v. 4. non est DEUS aliis nisi unus Jac. 2.  
v. 19. DEUS enim unus est. Et summus JEHOVAH appellatur DEUS,  
juxta qvem non est aliis Deut. 32. v. 39. Ps. 86. v. 10. Esa. 37. v. 16. G. 44.  
v. 6. 8. c. 45. v. 5. 21. c. 46. v. 9. Os. 13. v. 4. 2. Par. 33. v. 13. Psal. 46. v. 11.  
qvi est summus Psal. 77. 14. Exod. 18. v. 11. Psal. 95. v. 3. Vide & Psal. 96.  
4. & Psal. 97. v. 9. Ubiunque igitur nomen DEI absolute & simili-  
teter in Scripturis adhibetur, ibi summum & eternum DEUM designat.

§. 21. Unde talis resultat propositio: *Qui sensu proprio & ab-  
soluto DEUS vocatur, is est summus & infinitus DEUS.* Hæc solido  
argumento infringi nequivit, nisi Phoriniani DEUM esse prorsus infi-  
ciari velint, atque adeo omnia in Sacris de DEO dicta incerta  
reddere. Si namque in Minore subsumatur, *Pater in S. Scripturā*  
*sensu proprio & absoluto. DEUS vocatur*, certè eum summum &  
infinitum DEUM esse concedent: Itaque de Minore solùm controver-  
titur, qvæ est: *Atqui CHRISTUS sensu proprio & absoluto vocatur hoc  
loco DEUS.* Hujus propositionis veritas è supradictis manifesta est.

ubi, Paulum hic non de DEO Patre, sed CHRISTO loqui, ostendimus. Inde jam porro notamus, quod nomen Iesu h. l. in *Subjecto de CHRISTO* effatur, quod indicium summi DEI esse Photiniani contendunt, quibus haec Regula celebratur: *Quando Nomen DEUS (Iesus) in subjecto Enunciationis absolutè ponitur, summum DEUM, omnium rerum conditorem, designat.* Vid. Socin. contrà Wujek. resp. ad c. 9. p. 375. Grell. de DEO & attr. div. col. 96. Schlicht. cont. Meisn. p. 145.

§. 22. Secunda Conclusio: CHRISTUS est verus Homo, οὐαγός Θηλεύτης τὸν αὐθεντικόν, utilloquitur Synodus Chalcedon. Denaturali quoad principia, & consubstantiali nobis in CHRISTO Humanitate aliquot fuerunt hereses. Quidam Haereticorum Veterum negarunt corporis veri & humani substantiam, tribuentes CHRISTO corpus vel cœlestē, vel sydereum, vel aëreum, ut Antidico marianitæ omnes, Valentinus, quem Αἰρεσίας οὐχι Epiphanius appellat, Proculus, Marcion, Manes, Cerdon, Jovius, Apelles, Blastus, Hermogenes, Menander, Manes Persa &c. quibus conspirant ex recentioribus Anabaptistæ, Evangeliani &c. Quidam animæ substantiam aut in totum, aut quoad superiores facultates negarunt, eam à λόγῳ suppletam fuisse dicentes, ut Apollinaris, Apsychii &c. Hinc corpus αἴσθεται, & actiones naturales mere apparentes fixerunt, ut Basiliides & alii.

§. 23. Nos assertionem nostram sic confirmamus: Quæ persona ita manifestata est in carne, ut sit nata ex semine Davidis secundum carnem, & nata ex muliere, nec non particeps facta carnis & sanguinis παιδείας ut pueri, illa persona est verus Homo. At persona, quæ loco nostro absolute DEUS vocatur, quam CHRISTUM esse probavimus, ita manifestata est in carne, ut sit nata &c. E. Minor constat (1.) ex Rom. 1. v. 3. ubi de Filio DEI dicitur, quod sit natus ἐκ θεοῦ καὶ Δαβὶδ καὶ οὐαγῆς, ut Filium DEI non φανταστικον aliqvod, vel spiritualem substantiam, vel corpus aëreum, sed verum corpus humanum, carne & ossibus constans, vel veram naturæ Humanæ substantiam, in quâ ob nostra peccata pari & mori potuit, assumisse, & nobis οὐαγός esse firmiter credamus. (2.) ex Gal. 4. v. 4. ubi omnino hoc indicare voluit Apostolus, filium DEI, qui fuit ante nativitatem ex muliere, missum fuisse, ut nasceretur ex muliere, assumendo Humanam

manam Naturam. (3.) ex Heb. 2. v. 14. Dicitur ibidem, quod CHRISTUS particeps factus sit carnis & sanguinis, a deoque veri corporis naturalis humani. Ceterum ita CHRISTUS in persona sua mens & organis & c. a. iug. 3., sicut pueri communicarunt. At pueri communica- runt corpori & sanguini, quod anima vegetans, sensitiva & rationa- lis informavit, ut in confessio est. E. CHRISTUS etiam in persona sua ita mens & organis & c. a. iug. 3., ut anima vegetantem, sensitivam, & rationalem, corpus assumtum informantem, habeat. Ad- huc, quia ita assumit carnem & sanguinem, ut per mortem imperium mortis destruere possit, ille assumit carnem & sanguinem, anima rationali praeditum: Nam ubi non est anima, ibi mors fieri nequit. Ubi non est anima rationalis, ibi non est mors per se meritorie oppo- sita mortis aeternae & imperio Diaboli. Atqui CHRISTUS ita as- sumit carnem & sanguinem, ut per mortem imperium mortis de- strueret, quod locus jam adductus habet. E.

§. 24. Quid cognitis manifestum est, DEUM non misisse Fi- lium in mundum, ut per externam duntaxat figuram nobis similis esset, & in externo χριστῳ inveniretur ut homo. Apostolus quidem ait Rom. 8. v. 3. quod DEUS miserit filium suum ē ὁ πονώματι σαρκός αὐγετίας, & Phil. 2. v. 8. quod CHRISTUS ē χριστῷ repertus sit ut homo. Sed inde haudquaquam sequitur, quod specie tantum ex- ternā corporis nobis fuerit similis: nam aliud est mitti ē ὁ πονώματι σαρκός, & aliud est mitti ē ὁ πονώματι σαρκός αὐγετίας. Quare τὸ οἴσται μετ. h. l. non excludit Humanæ Naturæ veritatem, sed peccati fœditatem: CHRISTUS enim non novit peccatum, in se sc. 2. Cor. 5. v. 21. sed est sanctissimus Dan. 9. v. 24. ὁ εσθιόντα, ἀγωνίζοντα, απιασθέντα, πενθεύσαντα δοτὲ τὸ αἷμα πλάνων Heb. 7. v. 26. Neque χριστός in loco adducto ex Epistolâ ad Phil. pp. opponitur veritati Humanæ Na- turæ, sed cœlesti ac divinæ Majestati & gloriæ, quam CHRISTUS, vi personalis Unionis, inde à primo conceptionis & Nativitatis mo- mento usurpare & ostendere potuisse, sicut fecit in transfiguratio- ne Matt. 17. v. 2. & significat infirmitates, quas in Statu exinanitionis sponte in se, excepto tamen peccato, suscepit: quod liquet ex scopo & connexione. Etenim ad studium τετευχεστών, exhortatur

Apostolus Philippenses, & eis CHRISTI, qui seipsum extremē humiliarit, conversationem ob oculos ponit, ut illam imitarentur.

§. 25. Tertia Conclusio; Filius DEI in personam suam app̄xto ēvōs Humanam Naturam assum̄st. Argumentamur: Qui est verus naturā DEUS, & simul ita manifestatus est in carne, ut in plenitudine temporis natus sit verus Homo, is in personam suam assum̄st Humanam Naturam, adeoq; per infinitam æternamq; subsistentiam divinam Naturam cum Humanā arctissime univit. Nam alioquin non servaretur unitas suppositi. Sed Filius DEI est verus naturā DEUS, & simul ita manifestatus est in carne &c. qvod utrumque superius ostensum. E. Filius DEI in subsistentiam suam profundissimā Unione assum̄st Humanam Naturam. Attendendum insuper, qvod manifestatio Filii DEI facta dicatur loco nostro non nisi mediante carne, ut qui viderit hanc carnem, sive hunc hominem, is simul DEUM ipsum seu Filium DEI viderit. Unde sequitur, qvod DEUS cum carne faciat unum. ὁ Φιλίππων, seu unam personam, secūs si hæc unio non intercederet, id qvod dicitur de homine, non posset simul dici de DEO, veluti DEUS est in carne visus, creditus, & in cœlum suscep̄tus, sicut & Johannes dicit, se vidisse & manibus palpasse verbum vite, (Filiūm DEI i. Joh. i. v. 1. 2.) Hinc ejusmodi locutio nunquam usurpatur de Prophetis & Apostolis, per qvos DEUS se singulari quidem ratione manifestavit, verū non eum in modum, ut cum illis faceret unum suppositum, & humanæ proprietates de DEO ipso enunciarentur. Per Prophetas & Apostolos DEUS se manifestavit mediante verbo: sed per CHRISTUM se manifestavit in carne, seu mediante carne, & cum ea unitus est ad unum suppositum, ut DEUS & caro sit una substantia intelligens ultimo completa.

§. 26. Patet itaque, Filiūm DEI non apparuisse in carne, s. corpore humano, ut Angeli, & ut Spiritus S. in specie columbae. Angeli enim ad tempus tantum corpus assūserunt, ob ministerium sibi a DEO demandatum, & ejus corporis formæ duntaxat assistentes fuerunt: CHRISTUS autem habet suam carnem per ωρτην ψυχην & ἔνοικον. Angeli non apparuerunt, ut paterentur: Filius DEI autem incarnatus est, ut pro peccatis nostris moreretur. Hinc Terullianus libr. de carne CHRISTI p. 18. ait: Nullus unquam Angelus ita descendit, ut crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut à morte susci-

taretur: ut vero CHRISTUS missus ut moreretur: nisi quoque necessarium habuit, ut mori posset: non enim mort solet, nisi qui nascitur. Spiritus S. tantum ad tempus in specie columbae apparuit, quam sibi appropriavit non per Unionem personalem & indissolubilem, sed symbolicam & temporalem: Filius DEI autem apparuit ut verus Homo per Unionem perpetuam & personalem.

§. 27. Quarta Conclusio: Unio illa ἐγγὺς non ad solam θεού τὸν λόγον, exclusa divinā ejus Naturā, referenda est. Nam quodcunq; DEO ipsis adscribitur, id inūdā & abstracte personalitati, exclusā divinā Naturā, tribui non debet, sed ipsi Divine Naturae, secundum quam DEUS est DEUS, adscribendum est. Atqui φανέρωσις ēa origīnē DEO ipsis in loco nostro adscribitur. Ergo. Dicimus tamen que cum Damasceno l. 30. O.F. c. 6. πάσαις γὰρ πλείστην φύσιν θεόντος, ἐπιμέρη τὸν εἰδῆς θεού τοντον πάσην τὴν αὐθεωτήν φύσιν, καὶ σώματος μέρη. Et hoc contrā quosdam Jesuitas, Scholasticos, & Calvinianos notandum est.

§. 28. Quinta Conclusio: Divina & Humana Naturae in divinā θεού τὸν λόγον sibi invicem ubique & perpetuo praesentissime sunt, ita, ut post factam Unionem hypostaticam neutra extra alteram aliquid & aliquando existat. Est enim hæc manifestatio DEI in carne inseparabilis, sive in inseparabili, ut Textus noster docet. Ita enim in carne DEUS manifestatus est, ut primò singulari θησαυροῦ, comprobatione & demonstratione Sp. Sancti opus fuerit, hanc manifestationem esse illam olim promissam οὐρανῶν f. Ιεροδοκτῶν, adeo q; Messiam Filium DEI, Regem Israëlis, vere advenisse. Huc pertinet ὅρσης νῦν ἡ Ἰησοῦς ἐν δυνάμει τῆς μαρτυρίας μῶν, de quo Rom. 1.4. Secundū, ut Angelis ipsis innotescens, quem ante carnem in personā suā, in throno divino, in consortio S. Trinitatis habuisse minimē intellexerunt. Et sanè certum est, apparitionem illam DEI incarnationi, quā Angelis visus est, sic factam esse, ut caro ἀδιαιρέτω in λόγῳ visa sit, ut caro in ipso velut adyto S. Trinitatis, ubi λόγος ipse visus est, fuerit visa, ut caro nunc infra ipsos Angelos visa fuerit Heb. 2.v.9. mox supra universos Eph. 1. v. 21. Tertiū, ut in gloriam assumtus per ascensionem: nam verba illa de ipsā assumptione, in adscensione CHRISTI in cœlos consummatā, dici supra adseratum.

§. 29.

§. 29. *Sexta Conclusio: Caro s. Humana Natura CHRISTI*  
*ad SS. Trinitatis consortium pertinet.* Hujus Adseptionis  
tale in dicto nostro fundamentum est: *In quo inseparabiliter mani-  
festatus est DEUS, & consequenter S. Trinitas, id scilicet per unionem*  
*pertinet ad DEUM, & consequenter ad SS. Trinitatem.* Evidem DE-  
US manifestatus est in separabilibus, ut Rom. i. v. 20. verum haec ad  
DEUM ~~orqalitatis~~ non pertinent, sed tantum ratione juris & poten-  
tiae, quia omnia ipsi subdita sunt. At fieri non potest, ut id, quod ad  
divinam aliquam personam adiungatur, ad gloriam & ad glorię  
pertinet, ad DEUM & ad Trinitatem, in qua est totus, ut italoquam-  
ur, DEUS, non pertineat. *Jam vero DEUS in carne inseparabiliter*  
*manifestatus est, uti §. praecep. ex ipso Textu ostendimus.* Ergo Ca-  
ro CHRISTI pertinet ad DEV M, & consequenter ad SS. Trinitatem.  
Negat hoc inter alios Buscus, Jesuita Moguntinus, in Apologia con-  
tra D. Gerlachium Err. VIII. Beza respons. 3. ad Selnecc. volum. 2. p.  
m. 465. Quam negationem Orthodoxa Antiquitas ut hereticam  
anathematis fulmine percutit: *Sic enim habet Canon I. Quintae Sy-  
nod. Constantinop. Oecumen. Tom. 2. Concil.* Si quis non confi-  
tetur Dominum nostrum JESVM CHRISTVM, qui crucifixus est  
carne, DEV M esse verum & Dominum glorie, & unum de sancta Tri-  
nitate, talis anathema sit.

§. 30. *Septima Conclusio: Divina & Humana Natura veram ac re-  
alem inter se invicem in persona τοῦ Ιησοῦ communionem habent.* Axio-  
ma Veterum est: *Vbi est Unio, ibi communio:* Nulla enim relatio pot-  
est esse sine correlatione, adeoque nec Unio sine Communione. Ostendimus autem §. 22. inter Divinam & Humanam Naturam esse veram ac  
realem in CHRISTO Unionem: Itaque verissima inter easdem Com-  
munio intercedit. Locus noster hujus Communionis documenta  
præberet, primo, quando DEV M manifestatum esse in carne ait. Et  
enim si inter Divinam & Humanam Naturam τοῦ Ιησοῦ nulla est realis  
communio, quomodo DEO Φανέρωσις εὐαγγελιστικωσις tribui-  
tur. Nonne Divina τοῦ Ιησοῦ Natura per hanc veram ac realem  
Φανέρωσιν, vere ac realiter particeps facta est carnis? Nonne Hu-  
mana Natura, in persona τοῦ Ιησοῦ per Φανέρωσιν illam realiter subsi-  
stendo

stendo, cum divinā simplicitate ac perfectissimè communicat? Secundo, Cū id, quod dicitur de homine, simul de D E O enunciat, ut D E V S est in carne visus, creditus, & in calum suscepitus. Ejusmodi enim prædictio Naturarum communionem requirit.

§. 31. Consentanea hic Orthodoxi Doctores Veteres, è quibus sequentes adducimus. Iren. l. 4. c. 34. Per unionem facta est communio D E I & Hominis. Basilius de Incarnatione Verbi: *in unctione igitur Christi autem mentis & verbi* *Humanus DOMINI caro ipsa particeps facta est Deitatis.* Item: *Deitas est in carne CHRISTI,* sicut igitur in ferro, communicans ipsi propriam suam facultatem. Athanas. ad Epist. ad Corin. Magis ipsi humanae Nature magna accessio facta est ex *receptione* & *creatio* Verbi ad carnem. Euseb. l. 4. Demonstr. c. 12. Verbum ex seipso sive communicat carnem. Iterum: *Homo à Verbo affinitus est et igitur ipsius Deitatis & parageionis, in communionem Deitatis & beatitudinis.* Ita vice versa Nyssenus: *Rex Regum venit et igitur ipsius in communicationem vel communionem nostrae naturae.* Quo facit τοῦ ξενοῦ illa personalis in hoc mysterio à Patribus celebrata, de qua ex Orthodoxe Gracie monumentis ita scribit collector veterum sententiarum Damascenus l. 4. c. 16. *η θεα Κυριος απειπεται κατωγενεσιν.* illa personalis in hoc mysterio à Patribus celebrata, de qua ex Orthodoxe Gracie monumentis ita scribit collector veterum sententiarum Damascenus l. 4. c. 16. *η θεα Κυριος απειπεται κατωγενεσιν.* Divina Natura semel innata per carnem dedit carni ad ipsam ineffabilem circummissionem. Pertinet etiam hoc definitio Unionis personalis Athanasiani Symboli, quod sit τοῦ Ανθρώπου τοῦ θεοῦ οὐκ εἶτε θεός, ut correcissima exemplaria legunt, *assumptio Humanitatis in ipsam Deitatem θύμα:* nam in quam naturam assumta est Humanitas, ejusdem naturae particeps etiam facta est.

§. 32. Octava Conclusio: Personam prædicacionum mystica est ratio. Eam evertunt, qui illas prædicationes verbales & tropicas appellant, ut Calviniani: Sic enim Danzus contra Chemnit. c. 12. p. 295. Scribit: *Ha sententia D E V S realiter est Homo, & Homo est D E V S* ita sunt explicande & intelligende, ut de persona quidem ipsa, seu de toto unito realiter dicantur, de toto tamen unius, aut singulis illius personæ natus verbaliter tantum & per *credo in Christum omnipotens*, aut *in idem*, aut *in ratione* & *in similitudine* & *enunciatur etiam per verba concretiva & personam*

sonam. Ergo hæc propositio Hic DEUS est Homo persona quidem ipsius ratione realis est, ipsius autem Naturæ Divina ratione non potest esse realis prædicatio. Et Admonit. Neostad. p. 68. ait: Homo iste partim reipsa, partim nominetenus est DEUS. Item p. 76. Prædicatio humana-  
rum de DEO, & divinorum de homine, quantum ad Naturas, tantum  
est verbalis. Beza in colloq. Mompelg. p. 294. hanc propositionem,  
ille Homo est DEUS, per ἀναφορā Zwinglii resolvit, inquit: Intelligimus scilicet vocabulo Hominis Filium DEI, hoc modo, Filius  
DEI, qui unitus est Humanitati & Deitas ipsius est DEUS: Deitas  
enim Humanitatis non est communata. Vid. & eundem præfat. p. 1.  
ad colloq. p. 19. ut & Orthodox. Consens. p. 297. Leydenes in sy-  
nopsi. purior. Theol. disp. 25. th. 37. Disp. 16. syntagm. Leydensium  
th. 17. ubi verbalis dicitur idiomatum communicatio, cum dicitur, DE-  
US est Homo: Henr. Alting. L. C. p. 480. Tropicam dicit prædicatio-  
nem, DEUS est Homo. Parili ratione Henr. à Diest Enchirid. Theo-  
log. Christ. Loc. 16. p. 79. & seq. propositionem DEUS est Homo,  
impropriam & Tropicam esse affirmat.

§. 33. Cæterum hæc illarum prædicationum est origo etiam ex proposito loco. DEUS dicitur manifestatus esse in carne. Unde conseqvitur, DEUM in persona unitate & ob eam intrâ se carnem ha-  
bere. Hinc per se fluit, DEUM in unitate persona & ob eam homi-  
nem esse. Qvoniam itaque DEUS οὐδέ personaliter habet assump-  
tam Humanam Naturam, & Humana Natura personaliter habet inha-  
bitantem Divinam Naturam, inde naturæ sunt Ecclesiasticae proposi-  
tiones, DEUS est Homo, Homo est DEUS. Ita P Lombardus lib. 3. sent. dist. 6. ex Patribus ait: Vtriusque naturæ servata  
proprietate factum est, ut DEV S esset illa substantia subsistens ex anima  
rationali & humanâ carne, & illa substantia esset DEV S. Unde verè  
dicitur DEV S est Homo. Homo est DEV S & Filius Hominis est Fi-  
lius DEI & è converso.

§. 34. Notamus verò de illis contra Calvinianos, antè citatos,  
esse illas prædicationes non verbales, nec tropicas, sed reales & proprias.  
Non queritur hic (1.) An istæ verbales dici possint; omnis enim  
prædicatio, quæ verbis certis effertur, verbalis dicitur: sed an sunt  
tantum

entum verbales, ita; ut in propriâ vocum significatione res non subsit, vel, ut non sint reales. Nec (2.) quæstio est, an dicantur verbales, quia plane falsæ sint: hoc enim negat adversa pars, sed quia sint tropicæ, vel alioeosi, vel synecdoche, aut aliâ quadam figurâ affectæ, ut nominetur aliud, aliud intelligatur.

§. 35. His ita constitutis sequentes Assertionis nostræ rationes subiungimus: I. Quæ prædicationes fundantur in  $\tau\alpha\beta\eta\tau\alpha$  Scripturæ, illæ non sunt Tropicæ sed propriæ. Atqui prædicationes personales DEUS est Homo, Homo est DEUS, fundantur in  $\tau\alpha\beta\eta\tau\alpha$  Scripturæ Jer. 23. v. 6. Matt. 16. v. 13. 16. Rom. 9. 5. Luc. 1. 35. 1. Corinth. 15. 47. E. Major inde patet, quia à literâ ac proprietate Scripturæ citrâ summam necessitatem non est recedendum, cum primis in propriâ articulorum fidei sede. II. Qvarum prædicationum nulla pars mutat nativam significationem, ea non est tropica, sed propria: Tropus enim est, juxta Quintilianum lib. 8. c. 6. verbi vel sermonis à propriâ significatione in aliam mutatio; vel, ut ait Aristoteles lib. de Poeticâ c. 21. ὁρόγλωσσος ἀλλογλωσσος, alieni nominis illatio. Atqui prædicationum personalium Homo est DEUS, DEUS est Homo, nulla vox mutat nativam significationem: homo enim hominem, DEVS DEUM significat, est unionem personalem, sive identitatem hypostaseos; nam copula subjectum & prædicatum idem esse dicit ratione hypostaseos. E. prædicationes personales non sunt tropicæ. III. Conclusio, quæ bono Syllogismo expositorio insertur, æqvæ propriam prædicationem facit, quâm sunt præmissæ. Conclusio enim non habet alios terminos, quâm erant in præmissis. Sed prædicationes personales sunt conclusiones, quæ bono Syllogismo expositorio inferuntur, veluti: Hec persona vel CHRISTVS est DEVS. Hec persona vel CHRISTVS est Homo. E. Homo est DEVS &c. E. prædicationes personales æqvæ propriæ sunt quâm præmissæ. Et quemadmodum in præmissis modò dati Syllogismi expositorii DEVS & Homo non impropriè sed propriè accipitur, neque verbaliter tantum sed realiter immo realissimè prædicator (non enim CHRISTUS est DEUS verbaliter tantum vel impropriè): ita & in conclusione, vi dispositionis Logice, Subjectum ac Prædicatum propriè accipi oportet, ut prædicatio exurgat realis, non autem

autem verbalis tantum. Similiter si a conclusas: *Quicunque na-*  
*tus est ex Maria, est Filius DEI, vel DEVS benedictus in secula. At*  
*hic homonatus est ex Maria. E. hic homo est Filius DEI, vel DEVS*  
*benedictus in secula.* Nullus hic est tropus, vel in Majori, vel in Mi-  
nor, sed propositiones intelliguntur propriæ: quapropter nec in  
Conclusione Tropus concedendus est s. in Subjecto s. in predicato,  
quoniam in legitima concludendi formâ non aliter extrema in con-  
clusione inferri oportet, quam accipiuntur in præmissis, alias quatuor  
termini orientur. Adde IV. quod illæ prædicationes DEUS est  
Homo, Homo est DEUS, Nestorianus à Catholicâ Ecclesiâ opposite  
sunt. At non stringerent eosdem, si impropriæ ac tropice expo-  
nendæ essent: Ita enim facile èas Nestoriani admittunt, nec inficiantur,  
sed urgent ac contendent hominem impropriæ esse DEUM.  
Nos abrumptimus illum, verbis Angelicis coadjuantes:

*A dœc a cū dñs ih̄s, n̄ p̄t̄ r̄s ēq̄v̄,*  
*c̄s a dñs m̄s v̄d̄m̄s*






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn741203286/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741203286/phys_0031)

DFG



tantum verbales, ita; ut in propriâ vocum signif. sit, vel, ut non sint reales. Nec (2.) qvæstio est, qvia planè falsæ sint: hoc enim negat adverbicæ, vel alloeoſi, vel synechdoche, aut aliæ, ut nominetur aliud, aliud intelligatur.

§. 35. His ita constitutis sequentes Adſenes ſubjugimus: I. Qvæ prædicationes fundaturæ, illæ non ſunt Tropicæ ſed propriæ. personales DEUS eſt Homo, Homo eſt DEUS, a Scripturæ Jer. 23. v. 6. Matt. 16. v. 13. 16. Rom. rinth. 15. 47. E. Major indè patet, qvia à literaturæ citrâ ſummam neceſitatem non eſt receſto in propriâ articulorum fidei fede. II. Qvarum la pars mutat nativam ſignificationem, ea non pria: Tropus enim eſt, juxta Quintilianum lib. monis à propriâ ſignificatione in aliam mutatio; v. lib. de Poeticâ c. 21. ὁρογλῶς ἀλλοτρίος ὅμοιος. Atqvi prædicationum personalium Homo eſt Homo, nulla vox mutat nativam ſignificationem minem, DEV & DEUM ſignificat, eſt unionem identitatem hypotafeos; nam copula ſubiecti idem eſſe dicit ratione hypotafeos. E. prædicationes non ſunt tropicæ. III. Conclusio, qvæ bono Syllogiſmo expofitorio inferuntur, velut CHRISTVS eſt DEV. Hæc persona vel C. E. Homo eſt DEV &c. E. prædicationes perſonales ſunt qvam præmiffæ. Et qvemadmodum in Syllogiſmo expofitorii DEV & Homo non impcipitur, neqve verbaliter tantum ſed realiter imputatur (non enim CHRISTUS eſt DEUS verba proprie): ita & in conclusione, vi diſpoſitionis Logici. Prædicatum proprie accipi oportet, ut prædicatione



on sub-  
verba-  
via ſint  
rà affe-

ratio-  
ſ Scrip-  
tiones  
ſ p̄n r̄w  
i. Co-  
e Scrip-  
rimis  
m nul-  
d pro-  
el ſer-  
oteles  
is illa-  
DEUS  
m ho-  
l, five-  
catum  
onales  
ositio-  
r præ-  
ant in  
, qvæ  
na vel  
Homo.  
propriæ  
ò dati  
riè ac-  
edica-  
el im-  
mi ac  
, non  
utem